

dum est de eo Leonis capitulum quo dicit (*epist.* 95, c. 16): « Si convivio solo gentilium, et escis immolationibus usi sunt, possunt jejuniis et manus impositione purgari, ut deinceps ab idolothitis abstinentes, sacramentum Christi possint esse participes. Si autem idola adoraverunt, aut homicidiis vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos nisi per pœnitentiam publicam non oportet admitti. » Et Nicœni canones (*can.* 11) de his qui præter necessitatem prævaricati sunt, qualiter pœniteant dicunt (*epist.* 59, *Theod.*) Quia vero, ut audivi, paralyti solet Pippinus percuti, sequenda est de illo sententia magni Leonis, qua dicit de his qui in tempore necessitatis, et in periculi urgentis instantia, præsidium pœnitentiæ et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora diffinire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera confessio, dicente Dei spiritu per prophetam: *Cum ingemueris, tunc salvus eris* (*Isa.* XLIII). Et iterum: *Quia apud Dominum misericordia est, et copiosa apud eum redemptio* (*Psal.* CXXIII). » Et Innocentius dixit (*epist.* 29 *Decent.*): « De pœnitentibus, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterum de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, et ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem. Sane si quis in ægritudinem incidit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de sæculo absque communione discedat. » Plura sunt alia quæ hinc possemus colligere, nisi ista crederemus posse sufficere. Unde quantum mihi videtur, non præjudicans synodali sententiæ de Pippino decretæ, sed confisus de Dei misericordia, qui per apostolum suum dicit: *Ut superexaltet misericordia*

*A* *judicium* (*Joan.* II), et de charitate confratrum nostrorum, et de auctoritate sacrorum canonum et pontificum Romanorum, exhortandus est Pippinus, ut puram confessionem de omnibus peccatis suis, quæ ab ineunte ætate perpetravit, secrete faciat, quia forte talia peccata fecit, quæ turpe est etiam in publicum dicere, et de hoc quod suum habitum dimisit et se perjuravit, et quia cum paganis se junxit, de qua sua conjunctione multa mala sunt perpetrata, coram Ecclesia inter publice pœnitentes se lacrymabiliter accuset, et pœnitentiam et reconciliationem humiliter petat, et de omnibus quæ vel secrete confessus fuerit, vel publice accusaverit, per manus impositionem episcopalis auctoritatis publice reconcilietur, et reconciliatus tonsuram clericalem accipiat, et habitum monasticum recipiat, et profiteatur se de cætero servare quæ expetit et expedit, et sic communionem sacri altaris recipiat. Reconciliatus autem benigne tractetur, et tali loco sub libero custodia misericorditer custodiatur, ut custodes monachos ac bonos canonicos habeat, qui eum exhortentur, et quorum doctrina et exemplo bene de cætero vivere et præterita peccata plangere discat. Et quorum providentia, et loci convenientia ita custodiatur, ut ad pristinum vomitum redire nequeat, etiamsi diabolo suadente voluerit, et recidivum scandalum per eum in sancta Ecclesia et in ista Christianitate oriri non possit. Accipe, frater et filii, istam rotulam, sed et illam de cognatione non jungenda, et porta illas domno regi, et relege coram illo, et de ista fac secundum illius consilium et commendationem, et de illa quæ de cognatione non jungenda tibi mittitur, per ejus consilium et auxilium sequere sacras auctoritates tibi directas. Providentia de Pippino non est negligenda, et ut certi ac fideles custodes adhibeantur satis est procurandum: nec obliviscendum quid de eo in monasterio sancti Medardi accidit, et quid de Carlomanno in Corbeia evenit. Nam quod factum est, adhuc fieri potest.

## XIX.

### DE VILLA NOVILIACO

*Sequuntur gesta quomodo dominus Hincmarus villam Noviliacum apud dominum Carolum imperatorem filium Lmdovici imperatoris impetravit.*

(Apud eundem, ex Appendice ad Flodoardum.)

Defuncto Pippino rege VIII Kalendas Octob. in monasterio sancti Dionysii, filii ejus Carlomannus et Carolus, secundum dispositionem patris sui, et consilium regni primorum, diviserunt inter se regnum paternum, et elevati sunt in reges VII Idus Octob. Carlomannus in Suessionis, et Carolus in Noviomis, sicut in Annali regum scriptum habemus.

Anno quarto regni sui infirmatus est Carlomannus

*D* infirmitate qua et mortuus est in Salmuntiacis, et ante obitum suum per præceptum regis suæ auctoritatis, quod habemus, tempore Tilpini archiepiscopi, tradidit villam Noviliacum cum omnibus ad se pertinentibus, pro animæ suæ remedio et loco sepulture, ad Ecclesiam Rhemensem sanctæ Mariæ, et basilicam sancti Remigii, in qua et sepultus est. Post cujus obitum, Carolus frater ejus præcepto, quod



habemus, suæ auctoritatis ipsam traditionem confirmavit.

Defuncto Tilpino archiepiscopo anno vigesimo tertio postquam Carlomannus Rhemensi Ecclesiæ villam Noviliacum tradidit, tenuit dominus rex Carolus Rhemense episcopium in suo dominatu, et dedit villam Noviliacum in beneficio Anschero Saxoni, qui nonas et decimas ad partem Rhemensis Ecclesiæ de ipsa villa usque ad mortem suam persolvit, et defuncto domno Carolo, sed et ipso Anschero postquam Carlomannus præfatam villam cum omni integritate Rhemensi Ecclesiæ tradidit, semper ipsa Ecclesia inde vestituram, sicut prædictum est, per annos triginta septem habuit.

Post obitum domni Caroli, et defuncto ipso Anschero, dominus Ludovicus imperator donavit ipsam villam Noviliacum Donato in beneficio. Qui Donatus, interveniente Bigone, per subreptionem quasi de fisco regis quasdam colonias de ipsa villa obtinuit in proprietatem per præceptum domni Ludovici imperatoris: et quando Lotharius filius domni Ludovici imperatoris Cabillonem veniens eam expugnavit, Donatus a villa supra Matronam, quæ Pomarius vocatur, ab imperatore defecit, et illi mentitus ad Lotharium confugit, et veniente hostiliter imperatore Ludovico ad villam quæ Calciacus dicitur, Lotharius ad eum cum suis constrictus venit, et sacramentum ipse et sui ab imperatore quæsitum illi juraverunt. Inter quos et Donatus, de infidelitate ejus comprobatus, ipsi imperatori quæsitum sacramentum juravit, et comitatum Miridunensem et villam Noviliacum cum suis appendiciis imperator ab eo abstulit, et Athoni, qui fuerat ostiarius Caroli imperatoris, in beneficium dedit. Donatus autem in vita imperatoris Ludovici nec comitatum recepit, nec de proprietate sua ullam firmitatem promeruit. Post obitum domni Ludovici imperatoris, diviso regno inter fratres, et pace facta inter eos, et mortuo Athone, dedit Carolus Donato in beneficium Noviliacum. Processu denique temporis commendavit Donatus filium suum Gotselinum Carolo regi: cui in beneficium dedit Carolus villam Noviliacum cum appendiciis suis. Deinde Landrada uxor Donati, sed et filii eorum, pergente Carolo rege ad obsidendos Normannos, qui in Insula quæ Oscellus dicitur residebant, cum aliis defecerunt. Quorum honores et proprietates a Francis auferri, et in fiscum redigi judicatæ sunt. Unde Landrada et filii ejus eatenus auctoritatem Caroli regis non obtinuerunt. De quibus rebus anno vigesimo regni sui Carolus villam fiscalem præcepto suo, quod habemus, Orbacensi monasterio dedit.

Anno trigesimo secundo regni sui venit dominus Carolus rex gloriosus in Basilicam sancti Remigii, ubi ostendi ei locum sepulcri Carlomanni regis, et præcepta ipsius Carlomanni et Caroli avi de villa Noviliaco, et auctores sacrorum canonum, qualiter damnent Spiritus sancti iudicio eos, qui eleemosy-

nas defunctorum retinent, et Ecclesiis tradere, demorantur, qui ut infideles ab Ecclesia adjiciendi, et quasi egentum necatores, nec credentes iudicium Dei habendi judicantur. Et reddidit præcepto suæ auctoritatis, quod habemus, Rhemensi Ecclesiæ ipsam villam cum omnibus ad se pertinentibus, quam tunc Bernaus post fratrem suum Rothaum in beneficio habebat.

Postea pervenit ad ejus notitiam, quod quidam homines de ipsa villa Noviliaco, per subreptionem, tam apud patrem suum quam et apud eum, res et mancipia in proprietatem obtenta tenerent, Landrada scilicet uxor quondam Donati, Guntharius, Hugo, et Waltrudis, et Elampodus filius ejus, Robertus, et Boso; et misit suos missos ad hoc inquirendum: et inquisitione facta, et veritate, sicut ei dictum fuerat, inventa, quoniam prædicti ad rationem non venerunt sicut banniti fuerunt, jussit ut præcepta Carlomanni et Caroli, sed et suum præceptum, coram suis fidelibus in generali placito suo apud Duziacum in causis palatinis legerentur. Unde fideles ejus, tam comites quam et Vassi dominici, quorum nomina scripta habemus, sed et cæteri omnes qui adfuerunt, relectis eisdem præceptis, judicaverunt ut quicumque de rebus et mancipiis ipsius villæ Noviliaci, per cujuscunque præceptum, vel quocunque modo, post donationem Carlomanni, qua cum omnibus appendiciis suis, vel cum omni integritate, ipsam villam Noviliacum, sicut tunc in fisco erat, ad Ecclesiam Rhemensem tradidit, et post confirmationem fratris ejus Caroli in proprietatem obtinuit si commutationem ostendere non posset, qualiter res et mancipia de ipsa casa Dei juste et rationabiliter commutata fuissent, quia non de fisco regio, sed de ecclesiasticis rebus et mancipiis per donationem obtinuit, ipsæ res et mancipia, quæ de villa Noviliaco obtenta fuerunt, ad ipsam casam Dei restituerentur, sicut in præcepto restitutionis ipsius Domini Caroli, quod habemus, plenius continetur.

Sed quando dominus Carolus Romam perrexit, et dominus Ludovicus frater ejus ad Attiniacum venit, per quosdam ex nostris apud domnam Richildem reginam, et apud domnum Ludovicum filium domni Caroli regis, obtinuerunt Donati et Landradæ filii, ut villa Noviliacum cum suis appendiciis eis consignaretur, non attendentes quia, sicut in capitulis Augustorum scriptum habetur, tales de regis proprietate ut infideles judicandi sunt, et secundum leges ecclesiasticas de rebus ecclesiasticis sacrilegi judicantur.

Reversus autem dominus Carolus imperator Rhemos veniens, cum tale factum audivit, satis graviter tulit, et misit suos missos, qui scilicet dictam villam Rhemensi Ecclesiæ et advocato nostro restituerunt, sicut plenius scriptum habemus.